



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. An Clerici conjugati ad ordines, vel beneficia Ecclesiastica promoveri
possint?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

TITULUS III. DE CLERICIS CONIUGATIS.

§. I.

An Clerici conjugati ad ordines, vel beneficia Ecclesiastica promoveri possint?

Resp. dari quidem Clericos conjugatos, qui in minoribus constituti duxerunt uxores, ad ordines tamen, & ad Ecclesiastica beneficia, vel administrationes, admitti non debent conjugati, nisi continentiam voverint perpetuam (cum consensu uxoris) & unicam, eamque virginem (ab alio non corruptam) duxerint, prout habetur in c. 2. h. 2. *in c. 2. h. 2. junctâ Gloſâ V. Virginem.* Neque enim est conveniens, ut idem Divinis Ministerijs, quæ summam requirunt puritatem, & rei uxoriæ serviat, & cum in omnibus habeatur talis ut laicus, laicus autem ad beneficia Ecclesiastica promoveri non possit, consequenter neque hic promoveri poterit, ita ut nec regulâ de trienniali pacifica possessione juretur, tanquam omnino inhabilis.

§. II.

An Clerici matrimonium contrahere, eoque contracto beneficia retinere possint?

Ordines sacros impedimentum dicens matrimonii esse ex Lib. 4. pa-

tebit, & consequenter Clerici in Sacro constituti, nec validè, nec licitè matrimonium contrahere possunt, prout etiam asseritur in c. Si quis. 1. h. 2. ubi per dispensationem, & excommunicationis sententiam compellendi dicuntur ad illas mittendas, quas de facto ducere non possunt post Sacrum ordinem susceptum presumperunt. Qui verò Clerici in minoribus tantum constituti sunt, & licitè contrahere possunt matrimonium, ad beneficia tamen Ecclesiastica, si quæ habeant, dimittere, & compellendos tales, ex pluribus juris textibus patet. c. Quod à te. 3. & c. Diversi. cum usus Conjugii, ut asserit Pontifex non bene conveniat cum mundificationis ministerio. Et quamvis Orientales five Græcæ Ecclesiæ Sacerdotibus necessarium sit, prout patet ex c. Cum olim. 2. uti matrimonio ante sacerdotiū contracto, contrahere tamen matrimonium post susceptum Sacerdotium nec illis licet. Debent tamen his, qui in minoribus constituti uxores duxerunt, & beneficia propterea privati sunt, restitui bona, quæ Ecclesiis, in quibus beneficiati fuerunt, accessoriè unâ secum obtulerunt. c. Quod à te. 3. h. 2. Tum quod cadit principali, cadat etiam accessorium. ap. reg. 43. in 6. tum quod benignitas Ecclesiæ non patiatur talem egere ad vitam necessariis.